



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. VI. De Vastatione territorii Castri Garthe.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

**H**ujus castri destructionem prænosticatio aliqua præcessit Anno Domini MCCCXXVII. eodem tempore anni, quo sequenti anno destructio facta fuit, tres fratres in coenaculo dicti castri circa crepusculum steterant, cum adhuc pauca stellæ apparent, & viderunt unam stellam in plaga aquilonis, quæ prætermisso naturali cursu, retrogrado celeriter cucurrit ultra C. passus, & stetit ibi, nec fuit reversa, licet dicti Fratres reversionem ejus diutius expectarent.

## CAP. V.

*Item de eodem.*

**A**nno Domini MCCCXXVIII. fuit terræ motus in dicto castro, & non alibi, & quatiebatur terra horribiliter, quod ædificia alta minabantur ruinam, ita quod hi, qui in ædificiis fuerant, volebant jam saltare ad terram suam, ut evaderent mortem.

## CAP. VI.

*De**Vastatione territorii Castri Garthe.*

**E**odem tempore LX. Fratres & familia virorum de Prussia exierunt versus castrum Gartham, & dum intelligerent, eos præmonitos esse, miserunt CCCC. viros, qui intraverunt territorium dicti castri, & de prædaverunt id, & reversi sunt ad exercitum Fratrum altera die. Dum Lethovini crederent Fratres suos rediisse ad terram suam, & irent ad agros suos, extunc Fratres cum toto exercitu suo intraverunt potenter dictam terram, & usque ad sex leucas eam depopulati sunt incendio & rapinâ. Plures etiam Nobiles de dicto castro cum omni domo & familia

E ff 3

sua

sua usque IX. animas adjuncti sunt Fratribus, & venientes in Prussiam baptismi gratiam perceperunt.

## CAP. VII.

*De*

### *Destructione suburbii.*

**P**ER idem tempus Fratres de Raganita cum XXX. viris intraverunt præurbium, & moverunt bellum contra Castrenses de Puthenica, ad quod venerant pridie CC. viri, quod hospites & Fratres nesciebant. Et intrantes mane in ortu diei cum adhuc quiescerent in strato suo, irruerunt improvise in eos, & viros & mulieres, & parvulos, qui effugere non poterant, occiderunt, & præurbium cremaverunt.

## CAP. VIII.

*De*

### *Combustione præurbii castri Oukaym.*

**N**ON longè autem post iidem Fratres de Raganita cum suis subditis præurbium castri Oukaym dormientibus castrensibus intraverunt & totaliter cremaverunt, & præterquam paucos, qui effugerant, omnes alii cum uxoribus, liberis, pecoribus & pecudibus aut igne aut gladio sunt consumpti.

## CAP. IX.

*De*

### *Castrensibus Mederage.*

**A**nno Domini MCCCXXIX. Joannes de Luccelburg Rex Bohemiae cum Nobilibus Regni sui & Duce Silesiae, de Valkenberg,